

Biblioteca
ASTRA, Sibiu

192

P.C.N.

05
T1-201

M
98

Pro A: Reido
Patre Provincia
li Reformat:

MEDIUM

Præservans, & Curans

CORPORIS HUMANI

Metuendo contagionis tempore periclitantis

Clarâ, & succinâ Methodô expressum, ac approbatum

Contra libidinositatem

JOANNÉ JUSTO
FRANCISCO
GEBB

De Geroltzhofen,
AA. LL. & Philosophiæ, &
Medicinæ Doctore, Sacr. Cæsar.

Regiæque Majest. In Transylvania
Carolinensis Fortalitii Physico
Ordinario.

Annô Reparatæ salutis
M. DCC. XLVI.

Claudiopoli Typis Academ. Soc.
IESU per Andream Feij.

BIBLIOTECA
ASTRA
SIBIU

Inv. 196



PROLOGUS AUTORIS
ad
LECTOREM BENEVOLUM.

Quamprimum felicissima illa illuxit hora, ut TIBI Amice Lector primum Inclinationis Meæ testimonium offerre possem, plena illico supervenit
A 2 fidu-

*fiducia , quæ spondet , affectus
TUOS non modo in tenuita-
tem Meam , sed & in rem
litterariam , illamque consci-
entiosam adeò fore propensos ,
ut animum Meum TIBI alias
jam sæpè devinctum , mirifice
caperet , simulque in TUI ob-
sequium raperent totum.*

*Cùm enim TE haud lateat
notum illud tritum , & vul-
gatissimum simul proverbium :
Hominem morbum esse ,
imò mortem secum gerere ; cu-
rabis indubie illa , quibus sa-
nus conservari , infirmus pri-
stinæ sanitati restitui , vivus
inter*

inter tot acerba funera securus
 commorari possis , ac valeas.
 Fiet hoc , si votum Meum ,
 opusculô hoc complexum TIBI
 placuerit ; unde etenim tan-
 ta Mortalium strages ? unde
 tam numerosæ mories , unde
 tam monstroſæ infirmitates ?
 sufficiat , velim una ratio :
 quia ſæpè ſæpius non sanis ,
 ſed vanis principiis rationis ,
 Homo , eſt inſtruclus.

Quæ verba non tantum ex
 ore Divi Hippocratis , ſed mul-
 torum aliorum veræ Fidei fide-
 liſſimorum Virorum oribus pro-
 manârunt ; nec reſtat dubium ,

quin ipsi sano sensu explicato
plenissimè tribuenda sit fides :
quamvis haud inficiemur , non
omnem Hominem mente præsen-
tem toto die ægrotare , nec sin-
gulos Homines omnis generis
afflictionibus morbosis subjeci ,
qui ordinem rerum observant
bonum , sed potius multos Ho-
minum integerrima sanitate
frui . Nihilosecius tamen toto
die observare licet , Homines
in genere præ omnibus brutis ,
ægritudinibus (quia sine ordi-
ne bono , unito vivant) sub-
jectos esse , neque à morbis in
genere eximi ullam etatem ,
ullum

ullum temperamentum, & se-
xum, sed sine discrimine omnes
diversimodè (præcipue ubi ordo
bonus non observatur) ægrotare,
ut néque sæpiissimè, cum inte-
ritu multorum, deficiant certi
morbi, certis Hominum stupi-
dis rationibus, & conditioni-
bus familiares.

In cautelam horum opuscu-
lum hoc, sive observationes,
exiguum, sed spero proficuum,
de peste, hisce nunc **TIBI** Ami-
ce Lector cordyntime pro
Gloria DEI, & conservatione
TUI offero. Arcipe igitur eò,
quò **TIBI** offertur, animò

hocce munusculum perquam ponderosum, & TIBI plurimum salutare, ut affectus Meus in TE profusus, hocce, effectum illum TIBI adferat, quem opus praesens appromittit. cuius dum TE assistro, aequè sanum perennare cupio : Vive,
& Vale.

TIBI Inclinatissimus

Author operis.

○
॥

S I.

Qua truculentia
pestis plurimas mū-
di partes peragrando depo-
puletur, quot Urbes, Op-
pida, & Pagos, Incolis hor-
renda strage exhaustiat qua-
lem omnibus circumjacenti-
bus, huc siveque ab ista perni-
ciosa lue liberis, metum,
atque horrorem incutiat? pa-
lam est: omnes enim ad
eiusdem umbram tantum pa-

vescimus ; nullus est , quēm
formido non occupet ; cūm
mors ipsa malorum appare-
at minimum iis , quos ipsa
invadit . Verūm illos vel
maximè , qui in Reipublicæ
perniciem , tali in fatalita-
te , Prædestinationis statuunt
principium , malum hoc mi-
nimè angit (alio hīc tamen
prætermittantur silentiō illi ,
qui , quamvis scholastica de
Prædestinatione hauserint do-
gmata , scientiam attamen
suam speculativam , cum
practica minimè confundē-
re , sed honestati , recte ra-
tionis

tionis ductui , communique
 bono ordini innitentes, præ-
 ter regulam scholasticam , de
 mediis contra pestem nece-
 sariis sibi providere , & aliis
 sapientissimè provideri cura-
 vère) de iis igitur tantum
 sit sermo , quibus cùm ve-
 nenum aspidum sub labiis
 eorum sit , ubi non possunt
 lubricâ fallaciâ serpere ; ut a-
 spides , apertâ fremunt vio-
 lentiâ ut leones , teste S. Au-
 gust. in psal. 57. cum uni-
 versali Regnorum interitu.
 Et quæso ! quid aliud ex
 Prædestinotorum principiis

regulariter concludendum
 est ? (venerandô pertranseo
 silentiô supernaturalia auxi-
 lia Gratiæ , ad salutem ma-
 ximè necessaria , solùmque
 perstringo media corporis na-
 turalia) quàm æqualis fors
 Hominis ad Imaginem DEI
 conditi , cum bestia , ratione
 carente ; quem enim ratio
 non evincit , pecudis more
 vietitat : quid aliud hæcce
 damnosæ sententiæ princi-
 pia dicitant ? quàm medi-
 camentorum herbarúmque
 salubrium virtutem lapidum
 efficaciam , átque præstanti-
 am

am esse nullam, & innanem;
 uno verbo: Medicos omnes
 esse relegandos , contra ex-
 pressissimam Divini Eloquii
 prohibitionem , ita effantiss;
*bonora Medicum propter ne-
 cessitatem.* Verùm proh
 dolor ! nolunt intelligere ,
 ut bene agerent ; hòc ipsô ,
 quòd fidei lumine præditi
 non sint , & in Prædestina-
 tionis barathrum immersi ,
 nec sibi , nec proximo suo
 media quærere cogitent effi-
 cacia : sed , quod caput est ,
 & epidemicæ hujusmodi af-
 fectioni maximè contrarium ,

præscriptum à natura ordinem , qui est anima rerum ,
 prætermittentes , à communicatione , confortio , & so-
 cietate pernicioſa minimè
 coercentur ; ejusmodi enim
 contagiosa lues communica-
 tiva ſua virtute , virus altius
 diſfundit , & infectō uno ,
 alter quoque eodem faucia-
 tur vulnere ; non enim eſt
 major ratio communicationis
 (præcisâ cautelâ) de uno ,
 quam de altero . Hoc mo-
 dō ignis elementorum voracissimus , quamdiu ſibi ma-
 teriam aptam , & debitè ap-
 proxim-

proximatam reperit, cuncta
in favillam redigit, Palatio
Regio coniuncto tuguriolo
minime parcens, non ob Præ-
destinationis vitium, sed
improvitam conjunctionem.
Hinc periculis hinc cir-
cumstantiis, ubi non una
Civitas, sed integra prope-
modum Regna, & Provin-
ciæ periclitantur, debita,
& prudens observari deberet
præcautio, adhiberi mode-
rata separatio, conscientiosa
respectu victus necessarii cu-
ra, & provisio; nè plures
(experientia docente) fame,
&

& inediâ , quâm peste peri-
re contingat ; cunctorum-
que , quæ infectionem se-
cum trahunt , combustio :
defuncti insuper profundissi-
me sepeliantur , nè fiant in
elum canum , & porcorum ,
prout jam inventum est ,
sepulchrâque similia pestife-
rorum nunquam aperiantur ;
præterea lue pecorum , pe-
cora demorta non excorien-
tur , sed sepeliantur , nè a-
lioquin aër , homines , &
alia animalia propter nullum
ordinem , & incuriam infi-
ciantur : non obstante con-
traria ,

traria damnosa Prædesti-
 natorum opinione, quæ poti-
 us manifestissimam ruinam,
 & omnis mali invehit origi-
 nem, & propter quam plu-
 rimi Homines plus de suis
 pecoribus conservandis sunt
 solliciti, quam de conserva-
 tione animarum, & corpo-
 rum suorum proprietorum.
Tollatur ergo causa, & ma-
lum cessabit: nisi multorum
millium interencionem serò
nimiris condolere velit Poste-
ritas. Itaque in tempore
 adhuc, dum ignis sub cine-
 ribus ardet, dedebellando, ac
 à mæ-

à mæniis arcendo astutissi-
mo , átque simul fortissimo
hoc hoste , consilium , &
opem ferre , ratum , fixum-
que tenui. Quibus itaque
armis , quo valore , quibus
confæderatis , & stratagema-
tibus humanæ insidietur na-
turæ , illamque oppugnet ,
breviter inquiram , ut eò
melioribus , ac maximè ne-
cessariis , proportionatísque
instructi armis ipsi resistere ,
eumque , nos invadentem ,
jugulare valeamus.

§ II.

PEstis ergo est morbus epidemicus contagiosus consistens in summa sanguinis turbatione, & subsequente putredine, per materiam aliquam subtilem, malignam inducta, cum apparentia exanthematum, anthracum, bubonum, aliorumque symptomatum horrendo apparatu. Unde autem sit, & quomodo generetur materia illa maligna? primò inquirendum: ad quod

quod pauca quædam ex Physicis petenda restant. Notum est pro variatione figuræ particularum terrestrium, earumque compositione, & conjunctione varia fieri interjacentia spatiola, quæ à materia quia indefinitæ est figuræ in illis spatiolis concrescere, & in parvas abire massulas facillimum est, quæ massulæ pro varia figura, & magnitudine spatiolorum istorum, variè etiam modificantur; qualem etiam concretionem mihi descripsit *Des Cartes* in explicatione Phœnomeno.

nomenon magneticorum ,
 quam vocat, materiam striata-
 tam part. 3. Princ. §. 88, sed
 prout illa materia striata na-
 scitur in spatiolis inter glo-
 bulos cælestes triangularibus:
 ita hæc nostra in spatiolis
 particularum terrestrium, de
 qua licet videre eumdem Au-
 thorem part. 4. Princ. §. 185.

Quia autem unum quod-
 que corpus sibi particularem
 habet talèm materiam magis,
 vel minùs cum poris aliorum
 corporum convenientem ,
 variæ antipathiæ , & sym-
 pathiæ oriuntur: illa autem,
 cum

cum qua nobis negotium ,
itā modificata est , ut mini-
mè cum porulis , & textura
nostrī sanguinis conveniat ,
sed illum , si ipsi immisce-
tur , omnimodè turbet , &
molleculas ejus planè destru-
at , unde maligna vocatur ;
& pro majori gradu inconve-
nientiæ , major , & major
etiam est gradus malignita-
tis . Non putem autem illas
massulas nudas , & sinè ve-
hiculo è telluris gremio , vel
undecūnque tandem sint ,
nobis afflari , nec diu itā so-
las persistere posse , sed iis-
dem

dem particulis talia spatia intra se continentibus , quasi in sinu gestantur , & hinc inde deferuntur , quæ si sanguini nostro , (sive jam fiat per respirationem , sive contactum , sive alimenta) & communicentur , à calore vitali ex corum ergastulis executiuntur , & quia velociissimè moventur , facile sanguinis compagem , & mixturam omnimodè turbant : non aliter , ac sit in vino , vel cerevisia fulmine tacta . Quia autem hæ particulæ terrestres massulas in se continen-

tinentes uniusmodi , & æ-
quali copia non semper ad-
sunt, néque ab astris materia
subtilissima cādem copiā ,
nec ejusdem generis ad no-
stram terram defertur, etiam
hæc lues pestilentialis miris
variatur modis, nec iisdem
semper remediis arceri , vel
excuti potest.

Insuper notandum est ,
sanguinem ex certis quibus-
dam guttulis , sive molecu-
lis componi , quæ quamdiu
integræ , & legitimo modo
dispositæ manent , sanguis
turbatus dici non potest ,
quam-

quamquam interim valde
impurus esse possit. Exem-
plares fiet clarior: si acer-
vus frumenti ex puris, &
pulcherrimis granis sit con-
gestus, purus erit: at si alia
immisceantur, ut lapides
ligna &c. impurum quidem
dicetur frumentum, nul-
lô modô autem turbatum,
vel destruetum; sed quando
jam impurum est, & singu-
la comminuantur, tunc de-
mum destruetur, & turbari
dicetur. Idem accidit in
sanguine: quamquam varizæ,
particulæ heterogeneæ, san-

gvini immisceantur , non-dum tamen turbatur , vel destruitur ejus mixtura : et si cacochymia oriatur ; sed quando moleculæ ejus destruuntur , statim turbatur , & corruptitur , & secundùm varios gradus hujus turbationis variæ fiunt febres , inter quas ultimum gradum obtinet pestilentialis , vel pestis.

His jam positis facile omnia phœnomena quæ circa pestem observantur explicari poterunt. Contagium epidemicum , & multiplicatio-

cationem ejus, quod attinet, obscura esse non possunt, modo attendamus ad continuam insensibilem corporum nostrorum transpirationem, aeremque nobis circumiacentem talibus scatere posse particulis, quae talem in sinu gerunt materiam subtilem humano generi exitialem; & quamdiu illa spatiola in illis corpusculis integra manent, continuo illis novas concrescere massulas tales deleterias. imo illa materia subtilis in corporibus infectorum sibi secundum figu-

ram suam excavare , & post
 se relinquere poros in quibus
 postea aliæ concrescant sibi
 similes , & ita brevi tempo-
 re augeatur veneni copia , &
 multiplicetur . Quòd au-
 tem plures in eodem aëre his
 particulis imprægnato de-
 gentes immò frequentius circa
 ægrotos versantes , & absq;
 præservatione hæ lue non
 inficiantur , id , diversæ eo-
 rum sanguinis , homorūm-
 que circulantium dispositio-
 ni , respectu veneni , adscri-
 bendum puto : quod vide-
 mus in Melancholicis , qui
 non

non tam facile in peste inficiuntur , ut alii : hinc facile etiam ratio reddi potest , quomodo accidere possit , quod certæ tantum familiae hâc affligi , reliquis intactis , observentur ; quòd idem venenum nunc magis adultis , quam infantibus , & è contra , nunc magis sexui posteriori , quam sequiori , & è contra &c. infensum , & existiale sit . Ex sanguine ita turbato nulos , vel paucissimos posse generari spiritus , facile cuivis attendenti patet ; cōdem modò , quo vi-

demus fieri cum vino , & cervisia fulmine tacta , ubi nèc guttulam quidem spirituosi liquoris elicere possumus . Hinc tam magna statim virium prostratio , appetitùs imminutio (quamquam & alia etiam subsit ratio) anxietates cordis , & lipothy- miae frequentes ; continuo enim multi deperduntur animales spiritus per insensibilem transpirationem , unde restauratio semper opus est , quæ tamen hic non subsequitur . Et quia sanguinis legitima textura destructa est ,

est, particulæ æquales, æqualibus secundùm naturæ leges magis associantur V.G. salinæ salinis, sulphureæ, sulphureis &c. Et omnes sui juris fiunt, quia vincula disrupta sunt: ita ut diversæ illæ materiæ non tam sint pestis causæ, quam producta morbosa, quod semel annotasse sufficiet. Perseverante autem adhuc sanguinis circulatione, nunc ejus pars salina, & magis rarefcens, nunc pituitosa, vel terrestris ipsum cor ingreditur, & pro diversa illa dis-

spositione nunc citius, nunc tardius rarefit; unde pullus nunc celer, nunc tardus, nunc magnus, nunc parvus, nunc fortis, nunc debilis, immò aliquando intermittens est, vel planè cessat; quamquam imminutio spirituum animalium multum etiam ad languorem, & debilitatem faciat. Si autem ab acredine sanguinis, jam sui juris factorum cor laceretur, statim, quia muscularis est, convellitur, & ad violentum motum à spiritibus animalibus cum impetu influentibus

tibus cogitur: accedente interim propter consensum spasmodica contractione arteriarum, præcipue circa cordis basin, ubi a pluribus nervulis complecti, in Anatomia observantur. Hinc sanguis cum violentia ex corde expressus, non inveniens commodam viam per arterias transcedendi, repercutitur quasi, & in latera vim suam exerit, & ita palpitationes cordis excitat; de quo consulendi sunt plures Authores.

Necessario etiam hinc inde variæ in diversis partibus

resultant obſtructiones, unde tot poſtmodūm oriuntur ſymptomata; nam pro ratione diverſitatis materiæ obſtruenteris, & diverſitate partium, earumque diſpoſitione, ſymptoma aliud, & aliud erit, quæ diverſitas in eadem pefe ab alio non dependet, quam à diverſiſſima conſtitutione tum humorum, tum texturæ partium ſolidarum variorum hominum: in uno enim ſubjeſto cuius ſanguis multis jam lecatet particulis ſalinis, vel etiam ſulphureis, alia, cāq; gra-

graviora apparebunt symptoma, quām in alio, cuius sanguis antea legitimē temperatus fuit; alia item in alio, cuius sanguis pluribus particulis viscosis, crassis, aquosis, vel terrestribus infartus est, minima etiam occasio, quæ facilē hic determinari nequit, efficere potest, ut talis, vel talis meteria in hanc, vel illam potius partem secessum faciat. Si fortè particulæ salinæ acres in capite deponantur, ibique fibrillas nervosas, vel membranosas vellicent, sive lœ-

dant, ejusdem dolorem ingentem pungitivum, sive mordacem producunt, & non permittentes, ut pori cerebri blandè subsistant, vel claudantur, vigilias continuas inducunt: è contra si crassiores, pituitosæ, & viscidiores ibidem potius segregentur, quæ poros cerebri oblinunt, & principia nervorum aliquomodò obstruant, ut spiritus animales, qui jam tum in minori adsunt copia, in nervos influere, eoque sufficienter inflare non possint, soporosi

rosi isti in peste s^aepiūs obser-
 vabiles affectus oriuntur , si
V.G. in specie meatus nervi
 auditorii obdurentur , ut in
 peste Hungarica , & Transyl-
 vanica s^aepè observatum est ,
 ægrotantes auditu privantur.
Quando autem salia illa in
 meningibus poros ita obstru-
 unt , ut inflammations cau-
 sentur , deliria phrenetica
 exurgent . Quando illa sa-
 lina congeries ad stomachum
 etiam vergat , statim liquor
 ille gastricus , seu fermentum
 stomachale vitiatur , &
 appetitus imminuitur , &

prostratur ; acidum enim ab
 illa, quia alkalinæ potius est
 naturæ maximè infringitur,
 unde concoctio in ventricu-
 lo , non amplius legitimè
 procedet , & alimenta non
 in chylum laudabilem , sed
 fætidam putrilaginem abe-
 unt , quæ ad vermes exclu-
 dendos aptissima gaudent e-
 nim valdè calore tali pudre-
 dinali. Mirum itaque non
 est in peste Viennensi inte-
 gra agmina vermium in
 principio morbi prodiisse ,
 ut notat Excellentissimus ,
 atq; Expertissimus DD. Sor-
 bait :

bait : ut plurimūm enim tempore pestem antecedente plurima, & variorum generum infecta, præsertim muscarum , multò majore turba , quām alias consuetum est , observantur , quæ suis ovis & aërem, & cibos, conspurcare solent , quæ ova in corpus nostrum admissa , aliquamdiu ibi latere , & tandem aliquando accedente putredine , sive calore putredinali excludi possunt. De hoc videantur Authores tractantes de peste. Dixi sufficientia de salinis particulis , & eas

& eas plurimi sufficientes habent, quia Regnis, & Provinciis hactenùs multa gravissima accidentia propter contagiosam luem causârunt.

§ III.

UT ulterius pergamus dico: quod salia illa, a credine sua stomachum vellicantia, nauseam cum - vel sine vomitu producere possint, sœpè acrimoniam suam in superiore ventriculi orificio, quæ pars est

acu-

acutissimi sensūs, exerceant, & cardjalgiam , vel anxietates excitant : aliquando ita caustica sunt, ut ipsas stomachi tunicas corrodant, imò non-nunquam sphacelentur, quod etiam de aliis visceribus est intelligendum , si eò potius propter laxitatem , vel obstructionem , aut aliam dispositionem præeuntem deponantur. Si ad intestina pertingant , sive jam hoc fiat mediante bile , vel succo pancreatico , vel immediatè ex ventriculo ; aut glandulis intestinalibus , perindè est ,

est , saltem fibras intestino-
rum nerveas vellicabunt , &
ad excretionem continuo
stimulando Diarrhaes , vel
vasa corrodendo dysenterias ,
& alios excitabunt motus
convulsivos , & ut alibi sae-
pe etiam gangrenam , aut
sphacelum induent . Quod
si caustica illa salia in vasis
capillaribus partium carnosa-
rum , & membranacearum
subsistunt , ibique obstruc-
tiones generant , inflammatio-
nes , & carbunculos produ-
cunt non minùs in partibus
internis , quàm externis .

Macu-

Maculæ, autem petechiæ
 generantur, quando hinc
 inde corrosis, vel obstructis,
 & deinde laceratis vasis ca-
 pilaribus subcutaneis sanguis
 extravasatur, in parva tamen
 quântitate nulla subsequentे
 inflammatione; si particu-
 lis subtilioribus in auras a-
 volantibus, terrestriores tan-
 tùm relinquuntur, quarum
 ratione varii inducuntur co-
 lores: quando autem iterum
 disparent, materiam illam
 introrecedere, & partes no-
 biliores adoriri judicandum
 est. At non sanguis turba-
 tur,

tur, sed & reliqui humores
circulantes vitiantur, ut
Lympha, ita ut in glandu-
lis quoque præcipue conglo-
batis, quia poros arctiores,
minusque rectos obtinent,
substantiamq; molliorem ha-
bent, obstrunctiones oboriantur.
ubi si Lympha stagnet,
& colligatur, glandulas nunc
pauciores in tumores attollat,
quod vasa sanguifera circum-
jacentia comprimuntur, san-
guisque ibi stagnare cogitur,
unde bubones suos deducunt
natales, qui quidem tam
formidabiles, ut anthraces
non

non sunt , modò ritè tra-
ctentur.

Observavi pluries in illis,
quibus bubones erumpebant,
præcipuè si in partibus nobi-
lioribus suam non fixerunt
sedem, tales vix omnes non,
peste evasisse. Lympha hæc
vitiata non nunquam vasa sa-
livalia obstruit , unde sitis
inextinguibilis , oris ficcitas,
& ardor necessariò consequi
debet ; salia enim ab æstu
interno eò delata , à parti-
bus aquosis sufficienter dilui
non possunt : fero interim
ad alias partes tendente ubi
libe-

liberior ipsi conceditur via ,
 sæpè enim ad intestina co-
 piös percolatur , & urinæ
 profluvium causatur , quod
 sæpius observavi.

Nec multum faceſſit ne-
 gotii explicatio inconstantiae,
 & variæ urinæ mutationis ,
 quia omnes humores corpo-
 ris inconveniente sua dispo-
 fitione sunt turbati , quis
 mirabitur . si renes aliquan-
 do magis , aliquando minùs
 obſtruantur , si eorum fer-
 mentum vitietur , & cùm
 mafſa ſanguinis non ſit ubi-
 que ſibi æqualis , urina nunc
 de

de hac , nunc de illa plūs
 minūs participet materia ,
 nunc tenuis , nunc cruda ,
 sāpiūs tincta valdē , nunc
 crassa , & turbida , imò pes-
 sima segregetur , nunc ni-
 gricans , oleaginosa , aut li-
 vida corruptionis lethalis cer-
 tum indicans exēernatur .
 Alia adhuc multa observavi
 in peste phœnomena , quæ
 tamen æque facilè per pos-
 ta illa principia dilucidari
 posse perfido .

§ IV.

His jam prædictis,
quō pactō rationalis
præservatio , & curatio su-
perstruenda sit , porrò , vi-
dendum ; quia materia illa
subtilis pestilentialis vires
suas exerit , sanguinis com-
pagem solvendo , texturám-
que omnimodè turbando ,
omnia ea ad præservationem
necessariò observanda esse
censeo , quæ sanguinis mix-
tionem fartam tectam serva-
re possunt . Quo facit diæta ,
quæ

quæ si legitima instituatur,
 mulcùm auget, optimèque
 conservat corporis robur. ut
 plura dicam, consistit autem
 adhuc in conveniente regi-
 mine sex rerum non natura-
 lium , ex quibus præcipuè
 hic considerandæ sunt: aër,
 & animi pathemata , de cæ-
 teris mediocritas recommen-
 datur. Quia continuò tali
 tempore aëreni jām infe-
 etum , & talibus particulis
 imprægnatum attrahere co-
 gimur , nîl consultiùs esse
 patet , quām citò se in alias
 sanioris conferre aëris regio-

nes, juxta tritum illud :

*Mox, longè, tardè, cede,
recede, redi.*

Cùm autem non cuivis officium hoc permittat, nec sinè conscientiæ læsione id semper fieri possit, aër quantum potest corrigendus, depurandus, & ab istis particulis lethalibus liberandus ; quod optimè fit igne luculento, ex lignis resinosis, & aridis, juniperinis, queruginis, abjetinis &c. accenso, & fumigiis variis sæpiùs de die, quæ ex pulvere fulmali

mali pestilentiali , cum, aut
sinè sulphure parato , myr-
tha , pulvere pyrio , baccis
juniperi , tabaco &c. fieri
debent ; item campanarum
sonitu , qui bonum finem
intendit, & bombardarum fre-
quentioribus explosionibus.

Modus autem quō hæc ,
& similia operentur , ulte-
riùs facile concludi poterit :
interim omnes conversatio-
nes , & conventicula abso-
lutè vitentur ; in ipsissima
peste etiam in Domo DEI ,
ceremoniæ intra Ecclesiam ,
Missæ , Conclaves , Cate-
cheses

cheses (nisi omnia sub certis cautelis foris sub dio) & aspersiones aquæ benedictæ sunt omittendæ : nè simili indiscreto confortio , & contagiosa societate , & ipsum Templum DEI violetur.

Præterea unus quisque Paterfamilias sedulam domûs suæ curam gerat , eamdem mundè sarvando , cunctosque angulos indefessè scopando , sæpius de die fumigando pulvere pestilentiali , uti suprà dictum est . Uni solumodò exitus è domo concedatur , cautéque , ac cum

cum omni moderamine pro-
 cedat , sub certis tamen li-
 mitibus , scilicet : ut sepa-
 ratum ab aliis habitandi lo-
 cum servet , solus cibum
 summat , & potum ; num i
 etiam argentei , vel aurei
 non leventur ab alio , nisi
 prius aceto intingatur ab illo ,
 qui illos extradere cupit , &
 hoc quidem remotè contin-
 gat , nè magis ab homine ,
 quam numis inficiatur . De
 reliquo hisce in circumstan-
 tiis Argum oportet esse Re-
 storem familiæ , ut vigilan-
 tissimam cunctorum gerat

operam , lœtō animō negotia tractet , ac hilari geniō suis subditis obviet , tenacitatem scilicet , & avaritiam seponendo , quæ potius tristitiam causant , & pusillanimitatem , consequenter motus alterativos pestiferæ affectioni affines , & maximè propinquos ; resolutum etenim , & hilarem Datorem diligit DEUS . Interim pro quieta complexione , & lœto animo conservando inter reliqua alexipharmacâ , & cordialia non ultimō locō venit vinum generosum , quod

quod lætificat cor hominis ,
 & juxta Viros antiquissimos
 Medicinæ ut plurimum ex-
 pertos , veneno contrarium
 respectu curæ præservatoriæ;
 dixi tamen vinum genero-
 sum illudque sanum , quod,
 hocce in Principatu , Meo
 (salvô aliorum consiliô)
 Valachicum censeo.

Interim ulterius aër pri-
 vatus circa domicilia , & in
 habitationibus infectorum
 cautè fugiendus, si verò quis
 ex officio ægrotis adesse co-
 gatur , monita , & quidem
 Mea exigua diligenter obser-

vet, in cubiculis infectorum salivam nunquam deglutiat sed expuat, quod etiam intelligendum de illis rebus, quæ ad præservationem in ore masticantur, quæ nunquam deglutienda in habitaculo infectorum, sed expuenda semper, atque os lavandum extra cubile pestiferi, acetô quôdam medicato, facile enim aër infectus in cubiculis se salivæ commiscet in ore, unde observatur, venenum vires suas, in ventriculo præcipue exserere: nunquam etiam jejuno stoma-

Stomachô quis tempore pe-
stis domô egrediatur , qui
sanitati suæ studere cupit ;
fermentum enim ventriculi
tunc temporis sopitum quasi
jacet , & aciditate sua , ut
alias fit , venenum destrue-
re , & mutare non potest.

§ V.

Nunc autem quo-
ad curam multa hic
sunt observanda : prima , &
maxima , & optima cura est ,
animæ salutem quætere per
C 5 veram .

veram pænitentiam , & sub-
sequentem sumptionem Sa-
cræ Synaxis ; paratos enim
oportet nos esse , cùm Do-
nus , quâ horâ non putamus,
veniet . Secundò præserve-
tur corpus ab insultu , & cu-
retur jam peste infectus ho-
mo à Medicis Probris , Do-
ctis , Expertis , aut Chyrur-
gis similiter Expertis , Exa-
minatis , & Juratis , Phar-
macopolisq; pariter tanquam
partibus integrantibus Artis
Medicæ . Dixi à Medicis ,
Chyrurgis Probris , Doctis
&c. DEI legem scilicet ,
Pro-

Proximi charitatem , & obligationem suam gravissimam magis, quam quæstum præ oculis habentibus : nam sæpiissimè factum fuisse longa experientia docet , quod malæ fidei Chyrurgi utut salariati, neglectis infirmis, spoliatisque eorum bonis, per fas , & nefas se hæredes , & Dominos in re aliena constituerint.

Et quod caput est, mirari quidem Meō locō satiis nequeo, quod & novelli Chyrurgi vix olfacentes chyrurgiam in messem alienam se

immittant , ægrotantes vi-
 sitare , nūncque statim de
 suis experimentis , & singu-
 laribus gloriari , ac quoad
 interna præscribere audcant ,
 quæ tamen res , sicut admi-
 ratione , juxta ac risu digna
 est , ità altioris sanè indagi-
 nis , quamvis pauci momen-
 ti esse videatur , Judicii enim
 talium , qui tales locò Me-
 dicorum adhibent , & etiam
Chyrurgorum talium , imbe-
 cillitatem an dicam ? an ar-
 rograntiam ! & hac occasio-
 ne , & ex tanto rerum abu-
 su evenit tandem , ut quibus
 nulla

nulla unquam facta , nec
concessa est Chyrurgis, etiam
Pharmacopolis locò Medici
practicandi potestas , & li-
centia , indifferenter , im-
punè , & non sinè summa
Sacræ Artis ignominia, mul-
torūmq; ægrotantium dam-
no , & interitu , Medicos ,
agant ; ita enim Chyrurgi ,
aut barbi-tonsores , Pharma-
copæi, plerique balneatores ,
Denti-frangibuli non pauci ,
Agyrtæ , circumforaneique
quilibet, artem exercent me-
dicam, singularia effingunt ,
& jactitant , insignisque Ar-

tis nostræ Doctoribus exci-
tant molestias.

Idem passim facere au-
dent, qui per aliquod tem-
poris intervallum empla-
strum aliquod applicare, di-
dicerunt, vel Chymicorum
laboratoriis inhæserunt: hi
enim statim, ac vel ignis
tantum gradus moderari,
vel unum, alterūmve pro-
cessum expedire agnoverunt,
in Mundum universum abe-
unt, tales Chyrurgi, & Phar-
mocopolæ statim se in præ-
scriptione Medicos esse pro-
fitentur, ubi nihil nisi igno-
ran-

rantiam olent , & sapiunt :
nam scientia nullos habet
inimicos , nisi ignorantes ;
cùm enim tales scholæ Me-
dicæ planè inexpertes sint ,
& curiosum non tantum vul-
gi genus præcipue moderno-
rum temporum , sed mag-
nos interdum Medicos ali-
osque singularium , & arca-
norum amore raptos , egre-
giè ut plurimum decipere ,
sumptuososque processus fu-
gâ non rarô absolvere sole-
ant : nihilominus tamen fo-
ventur hi , à Magnatibus
Impostores , ac in Aulis , in
Homi-

Hominum perniciem nutriuntur, cumulantur honoribus, præmiis, amplisque afficiuntur stipendiis.

Et quâ denique Artis injuriâ, quodvis aliud Hominum genus, ut sunt laniones, quadrati item Rustici, Opiliones, Carnifices, Ventulæ, sagæ, Præcentrices, Cingari, Harioli, Crystalantes, nescio, quæ Hominum farragò, falcem non temere minùs, quam insolenter in nostram messem immittat, est, quod (vel hic, imò totâ Patriâ) insigñiter

gniter doleat Medicorum fa-
 milia , átque ità tam scitè
 pariter , quām vere cùm
 Medicina lugente exclamare
 cogatur : Domus mea , Do-
 mus Medicationis est , vos
 autem fecistis eam spelun-
 cam latronum : nam & hæc
 maleficiatorum Hominum
 turba illud , ad quod nata ,
 & educata est , vitæ genus
 petulanter deserit , ac Arti
 Medicæ illotas , & pestife-
 ras manus malitiosè admo-
 vet , ægrotantes visitant ,
 præscriptiones respectu inter-
 norum faciunt , & quidem

ab aliis Medicis, furtim abla-
ta, sinè ratione suadent, & ex-
hibent, curant, necant, ene-
cant, mortificant, & hæc
quidem omnia impunè, & re-
quasi optimè gestâ, & quasi
nullus amplius supersit Ma-
gistratus, qui tantam maliti-
am, fraudes, & scelera severè
vindicare aut velit, aut va-
leat. Impudicum hoc Ho-
minum genus toti Arti mul-
tum fastidii, tœdii, diffi-
cultatis, ærumnæ, despe-
ctûs, ac odii peperit, cùm
de cogenda magis pecunia,
quam de Mortalium salute
foli-

solicitum , & emungendis
solummodo crumenis addi-
ctum fuerit , nihil autem
reipsâ , vel quod collaudan-
dum foret , parùm præsti-
terit.

Ac neque adeò condolen-
dum forsan existeret , nisi
præter ejusmodi rapinas , tot
Hominum cædes , ac homi-
cidia Respublicæ clamarent ;
proh dolor ! quot ab Agyr-
tis hisce interficti , quot in
extremam pauperiem , simul
ac corporis calamitatem acti ,
quot in florida juventute
præmaturæ neci sunt traditi ?

Medi-

Medicinam in manu inscii
positam , esse gladium in
manu furiosi , quis nescit ?
at quid furiosius , mactabit ,
non defendet , occidet , non
proteget , laedet , non sanabit . Ita igitur hi omni ar-
rogantiâ , ac fastu referti ,
præceptiones omnes Medi-
cas illudentes , indicationes
ad curationis viam instituer-
dam necessarias , negligen-
tes , concurrentium sympto-
matum observationes despici-
entes , ætatum , tempera-
turarum , aut complexio-
num , climatum , anni tem-
porum ,

porum , ac constitutionum
 imò & causarum prægressa-
 rum , vix ullam rationem
 habentes , vespertilionum
 more in Medicinam invo-
 lant. Et revera plaga est
 hæc Hominum , Justi DEI
 Judicio iis Hominibus irro-
 gata , qui se se à veræ Me-
 dicinæ legibus , Præceptis ,
 Fide , ac experimentis sub-
 trahentes , hisce Aucupibus
 corpora sua credunt. Silen-
 tiô plura , præteribo , nè
 cadam ab uno absurdo ad
 plura , hoc unicum solummo-
 dò addere placet : sutor nè
 ultra crepitam . § VI .

§ VI.

ME verto nunc
ad animi pathema-
ta, & quæ tranquilla debe-
rent esse quidem omnia, o-
mnia cum spiritu mansuetu-
dinis, præcipuè contra me-
tum, terrorem pestis talis,
& pavorem firmandus est
animus, qui si erectus sit,
& imperterritus, Medicinæ
locò est; melancholicæ ima-
ginationes Musicâ, vel po-
culô hilaritatis abigendæ,
experientia enim testatur,
pusil-

pufillaniimes , & meticulo-
fos citius peste corripi, quam
qui cordatè DEI voluntati
se se subiiciunt , fiduciam
suam primò in DEUM , &
secundò in intercessionem
Sanctorum ; in quorum ho-
noribus , ut DEUS ipse ho-
noratur ; ita eorum precibus
exoratus , nostri facilius mi-
seretur ; postea in peritum
Medicum , ejusque præscri-
pta medicamenta , firmiter
ponunt : & interdum ad re-
creationem , corporis , &
animi hilarem transfigunt
horulam. Corpus enim ab
omni-

omnibus impuritatibus libe-
randum, tum animæ, tum
corporis liberūmque servan-
dum: vitiosi corporis hu-
mores, si copiosi adfuerint,
in tempore, lenitivô aliquô
medicamentò ex primis viis
è corpore deturbandi: non
autem quævis vetula, vel
Agyrta à consiliis sit, quam-
quam facilè vel stercore pa-
ferculorum, muscerdâ, vel
antimonio, aut Euphorbiô
alvum citare possint, sed
prudens hac in re Medicus
est consulendus; nec gene-
ralis hac in re regula præscri-
bi po-

bi potest, quia mutatis cir-
cumstantiis, ipsa etiam me-
dicamenta mutanda sunt:
purgantia autem fortiora pla-
nè exulent, movendo enim,
& agitando humores, tex-
turamque sanguinis laxando,
veneno magis januam ape-
riunt. Sufficere itaque pos-
sunt pilulæ genuinæ, & ve-
ræ Urbani, seu Papales,
vel pestilentiales Ruffi &c.
ut alvus semper sui memor
retineatur.

Vomitoria nunquam sine
prudentis Medici consilio
tali tempore in usum vocan-
da,

da, quando autem tempe-
 stivè, & justa dosi ad vo-
 mitum propensis, facilibus,
 iisque, quibus stomachus
 multa materia pituitosa, &
 viscida infartus, exhiben-
 tur, multùm commodi af-
 ferre, & sàpè periculosissi-
 mos morbos avertere, vel
 in primis incunabulis jugu-
 lare possunt: & vix tutiora
 dantur tartarô emeticô, aut
 radice Ipecacoannæ. Venæ
 sectio planè proscribenda,
 nisi in valde assvetis, maxi-
 mèque Plethoricis; de quo
 vide inferiùs.

Reliquarum etiam purgationum per hæmorrhoides, menstrua &c. fluxus, quibusdam consuetus, omnino procurandus, nè retentis iis sanguinis legitima dispositio mutetur ; quoniam venenum ut plurimum se primò Lymphæ insinuat, ibique etiam diu latere potest. In præservatione maxima laus fontanellis debetur, præsertim in partibus Hungariæ, & Transylvaniæ ; nam pluri Medici in peste constituti, debent veritatem fate ri, per tales fonticulos in

peste affectis , statim maximam nigrantis , ac fætidæ materiæ copiam effluxisse , & plurimam partem eorum , qui talibus instructi erant , evasisse : itaque , & præcipue cavendum eo tempore à fonticulorum occlusione , quod etiam de aliorum ulcerum rheumaticorum , maximè in femoribus , & partibus inferioribus curatione intelligendum ; ut plurimum enim illos , qui talibus , & similibus ulceribus affligebantur , in aliis pestis temporibus evasisse , testantur

tur multi celeberrimi Authors.

Alia est ratio cum fædis illis ulceribus, à lue vene-rea prognatis, quibus se pestis aliquando faciliùs con-jungit. Quia autem néque hæc sufficienter nos præser-vare possunt, si ad specifica confugiendum; talia autem duplicitis generis constitui possunt, scilicet: quæ ta-les continent particulas, quæ poros materiæ, hoc vne-num generantis facile ingre-di, mutare, ac diffingere valent: si enim huic mate-

riæ pori ad motum & figura-
 ram suam accomodati non
 amplius supersint , facile
 destruetur , & dissipabitur ;
 quia multò majori copia talis
 materia reperitur , ubi libe-
 riùs movetur , & poros ad
 suam figuram efformatos of-
 fendit , ut videre est in ma-
 gnete , circa quem , & in
 quo semper major invenitur
 copia materiæ striatæ , quam
 alibi ; quia poros habet mo-
 tui , vel figuræ suæ valde
 accommodatos : si autem po-
 ri ejus mutantur , sponte illa
 materia striata recedit , &
 vis ejus perit. Se-

Secundò : quæ tales in se
habent poros , & meatus ,
in quos materia illa subtilis
pestilentialis facile intrare ,
non item egredi potest , sed
ibidem vel inutari , vel cum
particulis istis inviscantibus
præcipitari debet . His addi
possunt , quæ sanguinem
leniter agitant , motumque
particularum minimarum
in sanguine ita augent , ut
quâ datâ portâ per corporis
poros eliminentur , sanguini
que optima textura conser
vetur : & his venenum sive
sit in , sive extra corpus tolli

posse, nullus dubitet. Sunt autem vel interna , vel externa : ex internis , in prima acie, stant acida blanda ; acutis enim , & scindentibus suis particulis facile se intales poros ingerere . spatiolaque talia mutare possunt , quamquam , & alio etiam profint respectu , quatenus scilicet sanguinis compagem arctiorem reddunt , ut peste resolutioni non tam obnoxius sit , quatenus item fermentum ventriculi roborant ; acidum enim blandum naturae ejus est valde ami-

amicum : & in his maximam ponere posse confidenciam ratio , ut dixi, syadet, & experientia, testatur. Vīnum autem quia tale blandum , & naturæ nostræ amicum subtile continet acidum, vix ulli cedit alii.

His solis ego cum plurimis aliis arte peritis Medicis à peste me præservavi , mane scilicet nunquam jejuno stomacho exivi , sed prius sumptâ particulâ panis cum butyro recenti, & modica herba rutæ , poculo vini sæpius de die utebar ut pharma-

co præservativo , Camphoram verò ad instar lentis ore masticavi, & deglutivi, dum inter pestiferos non versabar, inter consortium tamen infectorum masticando camphoram omnem salivam expui , & profecto hisce me à peste præservatum esse firmiter teneo. Cui compositum verò plūs arridet , præstò habeat vinum citratum , camphoratum , enulatum , vel infusum absynthii , Carduibenedicti , radicis Angelicæ , radicis Zedoariæ . Tale acidum blandum ,

dum, & amicum etiam possident poma citrea, & aurea; hinc etiam priore tempore pestis mihi, & multis aliis Medicis sanis, & infectis, maximo cum successu usurpavi, & quidem omnia, quæ iis fiunt: ut morsuli ex succo, & corticibus citri, syrupsus ex toto citro &c.

His accedit vini acetum, tum simplex, quò se præservavit Sylvius, ego sanè, inquit: cum quotidie plures visitarem ægros peste infectos, præcautionis locò aliud non sumpsi Medicamen-

tum , quām vulgaris aceti
 vini Cochleare unum , micā
 panis exceptum , & quidem
 manē antequam inviserem
 ægros , id remedii genus
 usurpavi per octo menses
 continuos , nec unquam mi-
 nimam percepit toto illo tem-
 pore ab infectione noxam .
 Tum compositum , cuius
 variæ hinc inde prostant de-
 scriptiones , & nomina V. G.
 acetum Theriacale , acetum
 Bezoardicum &c. aceta vul-
 garia , prout & allium , pro-
 funt pauperibus , & suffitūs
 frequentes ex granis juniperi .

Vc-

Verum quidem est , non omnibus in horum usu lice-re perseverare , propter singularem aliquam dispositio-nem melancholicam dictam , & itunc ab his vel abstinen-dum , aut aquis quibusdam distillatis simplicibus , aut compositis sunt diluenda , ut aquâ Rosarum , lavendulæ , Rutæ , Cinnamomi , bu-glossatâ , vel borraginatâ &c. Spiritus autem acidi , ut sa-lis , aut nitri , cum spiritu vi-ni cohobando , dulcificandi . Coñodum etiam talia acetâ aliis multis medicamentis

præbere possunt vehiculum,
 tum , ut junctis viribus a-
 gant , tum ut sæpius opus
 est , nimium eorum calo-
 rem temperent , prout in
 Theriaca , mitridatio &c.

Cùm igitur præ cæteris
 omnibus ad prophylaxin
 tempore pestis acida condu-
 cant , si accommodatò cujus-
 vis naturæ modò assumantur,
 in varia forma exhiberi pos-
 sunt ; si alicui placent Con-
 servæ , electuaria , prostant
 plurima , quibus addendus
 est spiritus aliquis acidus ad
 gratam aciditatem , ut spiri-
 tus

tus salis, nitri, vel sulphuris, aut acetum destillatum; & stomacho quantitate nucis avellanæ, aut nucis juglandis plūs, minūs assumenda: ætas autem, vires, sexus, status, & temperamenta in omnibus, quoad applicationem medicamentorum sunt sumē observanda, præcipuè, & qualitas, & quantitas medicamentorum in præscribendo, & sanando respicienda. & propter has conditiones debitè non observatas contigit, quòd plurimi hactenus erraverint,
&

& adhuc errent.

Adversarii nostri inter statū sæcularem, Maritalem, & Ecclesiasticum non faciunt distinctionem, cùm fidem non habeant: posset quidem de talibus dici, eos scientiam habere conjecturalem, idest non veram, & integrum &c. plura adhuc possent poni, sed quò ad alia me converto, quæ materiam illam pestilentialem in suis poris inviscant, mutant, præcipitant, vel per sudorem, aut diaphoresin ex corpore propellunt, varia etiam sunt, & in variis

riis formis reperiuntur, quia
 autem major est eorum usus
 in curatione, inferius recen-
 sebuntur. Saltem hic no-
 tandum, quod fumus tabaci,
 aut nicotianæ per fistulam
 attractus, cum summo fructu
 huc pertineat, quô se mul-
 ti milleni præservârunt. Ex-
 ternè ad odorem maximè
 commendantur poma citria, &
 aurea recentia &c. balsama
 varia ab Authoribus, hinc
 inde descripta. Cum successu
 etiam conficiuntur pixidulae
 sive moduli ex ligno junipe-
 rino, vel alio perforati, quibus

fpon-

spongia aceto ruteaceo , vel
alio Bezoardico , aut Theria-
cali aceto, aut balsamo Rutæ
præservativo , aut oleo pe-
stilentiali intincta inditur ;
nimiùm autem suave olenti-
bus , ut pomis ambræ, gra-
veolentibus item, non mul-
tum fidendum , in medio
tutius itur.

Amuleta planè reijcienda
non videntur præcipue Cam-
phoram portare sub axillis ,
& partibus ingvinalibus :
præterea illud Helmotii ex
Bufonibus ; cuius , & simi-
lium vis in eo consistere vi-
detur ,

detur, quod habeant poros
 ita formatos, ut particulæ
 veneni facile, & liberè se
 in iis movere possint, unde
 corpus nostrum deferentes
 eò se conferunt; quidquid
 enim movetur, eò tendit,
 ubi minimam invenit resi-
 stentiam. Aliter tamen, &
 tutius agunt, quæ ex variis
 alexipharmacis componun-
 tur, quale egregium habet
 Timæus. Imaginationi et-
 iam hic multum in multis
 tribuendum esse, libenter
 concedo, augetur enim con-
 fidentia.

§ VII.

DE curatione etiam nunc pauca: cum acutissimus sit morbus, qui viginti quatuor horis s̄epif simè jugulat, valdè maturanda curatio: ergo quando quis tempore pestis ex improviso, cum horrore, & calore per vices mutabili, dolore capitis, vel dorsi; nausea, vel vomitu, anxietatibus, & subita prostratione virium, animi deliriis,

quiis , vel aliis suprà dictis
 accidentibus decumbat , non
 semper Anthraces expectan-
 di sunt , aut bubones , vel
 maculæ , nec de urina mul-
 tūm consultandum , aut vi-
 dendum , quò vergat mor-
 bus , sed statim post animæ
 salutarem curam , & resigna-
 tionem , prudens consulendus
 est Medicus , vel ubi talis
 haberi non potest , ipse sibi
 consulat æger medicamentis
 alexipharmacis , & consiliis ,
 ac præscriptionibus de peste
 utatur ; cùm non tam dē
 hoste arcendo , quām expel-
 lendo agatur . No-

Notandum autem adhuc,
& observandum est, quod
pestis propter malam diæ-
tam, sive malum ordinem
vitæ extra tempora pestis
successivæ aquiri, & propagari
possit; semper optimè con-
ducebat, & Benedictio DEI
fuit, ubi omnia suspecta lo-
ca fuere à vitiis mundata,
tabernæ à pessima colluvie
hominum scopatæ &c. sed
ut cursum continuem, sua-
deo, quod quam primum
Medicus vocatus fuerit ad
pestiferum, si ventriculum
impuritatibus repletum, æ-
grum

grum nauseabundum , &
ad vomitum facilem inveni-
at , Emeticum aliquod , id-
est vomitorium tutum , non
nimis violentum , quod ci-
tò suam exerat energiam , &
intra bihorium , vel triho-
rium omnem absolvat ope-
rationem , exhibere possit ;
sæpè enim emetico tem-
pestivè adhibito , non tan-
tum multa symptomata im-
pediri , sed etiam ipse mor-
bus aliquando felicissimè a-
verti potest : cuius operatio-
ne absolutâ , sinè mora ad
alexipharmacâ , hoc est ve-
neno

neno resistentia medicamenta properandum. Abstinentiam tamen ab emeticis, sive vomitoriis, si vomitus jam symptomaticè ad sit, & non nisi inanis vomendi conatus observetur, omniāq; assumpta statim rejiciantur, tunc enim vel ab Anthrace, sive carbunculo, vel acrimonia salium ventriculi orificium vellicantium provenit, quod ego, & plures alii in peste infectis hominibus observârunt.

A reliquis purgantibus, præsertim fortioribus, absolute

solute cavendum in curatio-
 ne , non enim tantum im-
 pediunt Diaphoresin necessa-
 riā , sed venenum , quod
 in exterioribus adhuc hæret
 partibus , commovent , &
 cum sanguine comiscent ,
 sæpiusque Diarrhæas colli-
 quatiyas , hîc valdè pericu-
 losas , excitant : si verò non
 respondeat alvus supposito-
 riis , vel leni aliquo Clyste-
 re , blandè cienda : in de-
 clinatione verò morbi lene
 aliquod purgans , vel laxa-
 tivum exhibere convenit ad
 præcavendas recidivas . Non

E mi-

minus periculi plena, adeoq;
 planè omittenda est venæ
 sectio , totus enim sanguis ,
 cùm in sua mixtione turbat-
 tus , totus etiam evacuandus
 esset. Deinde eo ipso vene-
 num , quod extra sanguinem
 adhuc hospitatur , per
 venas ad cor derivatur : hinc
 non mirum , si experientia
 testetur omnes illos , vel
 plurimam partem periisse ,
 quibus venæ sectio celebrata
 fuit : ut plurimi , una Me-
 cum annotârunt.

Dari tamen posse casum ,
 quô non tantum admitti
 debet ,

debet , sed etiam necessaria-
riam esse venæ sectionem ,
non nego . Scarificationes ,
& hirudines , quia ejusdem
sunt generis nihil ferè com-
modi afferre possunt , quam-
quam tantundem periculi ,
ut venæ sectio , non impor-
tent . Quia tamen inaniter
cruciantur , & torquentur
ægri , consultius est absti-
nere , ut & à cucurbitulis
finè scarificatione , nam af-
fluxui materiæ locum dant .

Aliter tamen de vesicato-
riis judicandum censeo ; ef-
fectus enim non exigui in
E 2 peste

peste comperti sunt , multum enim materiae acris ex corpore educunt , & ab interioribus partibus derivant , dum exeundi comodiorem ipsi præparant , & aperiunt viam , & in nucha , brachiis , femoribus &c optimè ex cantharidibus parantur , prout prostat in Apothecis Emplastrum vesicatorium . Cavendum tamen , nè talibus applicentur , & ad talia loca , quibus circa vesicam , & urinam non integra res est , néque iis , qui hæmorrhagiis subjecti , neq;
præ-

prægnantibus ; aut nimium
debilibus : sæpius etiam
sunt renovanda , & empla-
stro de Melilotō , vel alio
insperso pulvere de Cantha-
ridibus recentia servanda, ab
inflammatione autem foliis
brassicæ præservanda.

Expertissima autem , &
securissima omnium sunt
Alexipharmacæ , & sudori-
fera , quæ totum hoc ardu-
um negotium absolvunt , &
ad quæ, tanquam ad sacram
anchoram recurrendum :
quamprimum unum , vel
alterum apparer signum :

veneni enim jam in corpore
admissi , vix aliis enervan-
di , aut expellendi superest
modus ; exhibenda ergo
sunt , quamprimum possi-
bile , aut si vomitorium
præmittitur , si non cum
eo , quod valdè conveniens
est , tamen statim absoluta
ejus operatione , & quidem
in majore dosi quam alias :
& quia semper virium ma-
xima habenda est ratio , sem-
per à cordiacis confortativis
concomitentur . Cordialia
autem imprimis acida sunt
eligenda , ob rationes supra
di-

dictas : ut syrups granato-
rum , acetositatis Citri , ru-
bi idæi , Ribium , berbe-
rum , pulvis Bezoardicus
Sennerti , pulvis è chelis
cancrorum cōpositus , pul-
vis pannonicus ruber , pul-
vis alexipharmacus citrinus ,
& ruber , pulvis cephalicus
rubeus ex præparatis , pul-
vis analepticus frigidus ,
pulvis antispasmodicus , pul-
vis præcipitans , Bezoardi-
cum animale , cerussa anti-
monii , antimonium Dia-
phoreticum , species libe-
rantes , species de hyacin-

tho, species cordiales temperatæ, pulvis Hannoverianus, pulvis Bezoardicus communis &c. Syrupus violarum, syrupus gemmatus, confectio Alkermes completa, & incompleta &c. aqua Theriacalis, aqua Typhorum cervi, aqua cornu cervi citrata, aqua de corde cervi, aqua cordialis temperata, aqua cordialis frigida, aqua cinamomi buglossata, aqua cardui Benedicti, aqua Cerasorum nigrorum, aqua borraginis, aqua florum Acatiarum, aqua acetosæ, aqua

aqua aurantiorum ex cortici-
bus , aqua fumariæ , aqua
Cichorei , aqua melissæ ,
aqua menthæ , aqua rubi-
idæi , aqua endiviæ , aqua
florum omnium , aqua scor-
dii , aqua scorzonerae , aqua
florum Tiliæ , aqua Viola-
rum ex floribus , aqua Veroni-
cæ &c. Spiritus nitri dulcis ,
spiritus vitrioli , spiritus sa-
lis , vel sulphuris &c. The-
riaca Andromachi , Mithri-
datium , Electuarium Diá-
scordii , Fracastorii , Elec-
tuarium Orvietanum Electua-
rium de ovo . item insigne

est in peste Elixirium alliatum, Elixirium pestilentiale, Elixirium proprietatis. Essentia alexipharmacæ Tinctura Bezoardica, Mixtura simplex, Electuarium antidotale &c. Similia plura quæri possunt in Authoribus paſſim tractantibus de peste.

Saltem notandum volo, faraginem medicamentorum extra pestem non minùs, quam ipsam pestem fugiendam esse, quamquam interim non uni soli medicamento adhærendum, sed & formâ, & materia tam respe-

respectu infirmorum, quām
 qualitatum, & quantitatum
 medicamentorum mutanda,
 nē natura tandem illis af-
 fvescat, & pharmacum me-
 dicamenti naturam exuat ;
 conservata enim minus mo-
 vent. Satis jam de cordia-
 libus, Bezoardicis, Alexi-
 pharmacis, & sudoriferis
 dixi ; jam de potu ordinario
 infectorum cogitandum est.
 Hinc species pro decocto an-
 tifebrili unciae quatuor :
 species pro decocto Alexi-
 pharmaco uncia una : locò
 potūs ordinarii inservire pos-
 sunt. E6 Quam-

Quamquam verò maxima pars symptomatum morbō ritè curatō tandem sponte desinat, tamen paucula tantum brevissimè addere libet de urgentioribus, quæ non nunquam ipsō morbō molestiora, & periculosiora videntur. In dolore capitis, & deliriis, Epithema ex aqua Betonicæ, aut roscarum cum aceto sambucino, aut calendulæ, & opio paratum, saepiusque renovatum tepidè fronti, ac temporibus applicatum conducet; aut columbæ, & Gallinæ vivæ disse-
Etæ,

Etæ, capiti capillis liberato, imponantur. Alii plantis pedum in forma Cataplasmatis ex fermento, ruta, sale, & aceto rutaceo mixto applicant. Hic valdè etiam laudantur vesicatoria, in Nucha præcipuè applicata.

Vigiliæ statim ab initio non sunt arcendæ, quia magis ad necessariam Diaphoresin faciunt, tandem tamen externè dissectis columbis, & Gallinis, pedibus applicatis, demulcendæ; ubi, si opus sit, opiata ritè parata in parva dosi cum appro-

priatis præcipuè volatilibus juncta , magnum præstant commodum. Sopores autem periculosi valdè sunt , undè omni conatu ægri à somno arcendi allocutionibus , vel acidis , acribus volatilibus , naribus oblatis , aut aliis mediis : si confortantibus , & cordiacis opus fit , supradicta , & ex illis mixturæ factæ , sufficiunt. Sitis , & ariditas linguae , quæ magis molesta , quam periculoſa , spiritibus acidis , ut : salis , nitri , sulphuris , vitrioli &c. potui ordin-

dinario inditis, nitro item
antimoniato, lapide pru-
nelliæ, vel aliis succis acidis
assumptis, diminui potest.

Nausea, & vomitus, si
ab Anthrace, vel inflamma-
tione tali ventriculi orti, o-
mnia ferè in cassum adhi-
bentur; alias, vel acidis,
sed paulò magis austoris,
aut quandoque opiatis,
Theriaca, Electuariο Dia-
scordii Fracastorii compe-
scuntur. Diarrhææ, & Dis-
senteriæ, quæ periculofissi-
mæ, & plerūmque lethales
sunt, sudoriferis adstringen-
tibus

tibus prospiciendum &c.
plura rationi, & experien-
tiæ committuntur. Hæ-
morrhagiæ quamquam ali-
quando criticæ existant,
nunquam tamen securi esse
debemus, & semper nè in-
valescant, vigilandum, ci-
tissimè enim quandoque in-
terficiunt. Communissima
symptomata sunt: maculæ,
bubones, & Anthraces, si-
ve Carbunculi: maculæ su-
peratō venenō pestilentiali
non magnam requirunt cu-
ram: bubones vero à Medi-
cis, & Chirurgis doctis, &
appro-

approbatis attendendi sunt
 cautissimè, cùm variæ dentur
 species ; néque omnes bu-
 bones ad maturitatem deduci
 possunt : qui mobiles sunt,
 facilius quidem discutun-
 tur , sed tutius videtur ,
 illos cucurbitulis , seu ven-
 tosis fixos reddere , & ad
 suppurationem deducere.
 Curantur autem ut reli-
 qui glandularum tumores ,
 additis tamen semper anti-
 pestilentialibus , ut Theria-
 câ , Mithridatiô , cæpis ,
 alliô &c. instar omnium esse
 possunt Cataplasmata , Em-
 pla-

plastrum Diachylum cum
Gummatibus, Emplastrum
Magneticum &c.

Quamprimum autem pau-
lulum mollescit tumor (non
enim semper ruptio sponta-
nea expectanda) phleboto-
mo aperiendus, & mundi-
ficandus unguento digesti-
vo, cum mixto modico
unguento ægyptiaco, au-
Felicis Wurzii, balsamo sul-
phuris terebinthinato, vel
anisato ; non autem conso-
lidandus, quod tandem fi-
eri potest, vel prædicto bal-
samô, & super impositô
Em-

Emplastrô Diapompholy-
 gos , aut solum prælauda-
 tis Emplastris. Carbunculi ,
 qui multò periculosiores
 sunt bubonibus curantur
 primò impediendo , nè ul-
 terius serpent , quod opti-
 mè fit butyro antimonii ,
 si linea circa Carbunculum
 ducatur , quô ipsô etiam
 fit separatio Escharæ , &
 partium corruptarum , quæ
 pro secundò necessaria est.
 Alii ad ferrum , & ignem
 confugiunt , quod non im-
 probandum , dummodo non
 adsit minus intelligens Chi-
 rurgus ,

rurgus ; mutundificantur postea suprà dictis , & tandem ut reliqua ulcera consolantur. Plura in aliis passim Authoribus quærenda.

*Hæc verò sufficiant ,
et cedant
Omnia ad majorem.
DEI Gloriam ,
et
Proximi Salutem.*



